I. N. SS. T.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

EPILEPSIA HYSTERICA,

Quam,

Consilio & autoritate Gratiosissimi COLLEGII Medici

In florentissima ad Salam Academia,

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo & Excellentissimo,

DN. GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO,

MED. DOCT. CELEBERRIMO, THEORETIC. P.P. MERITISSIMO, MED. DUCALI SAXONICO GRAVISSIMO,

Dn. Patrono ac Promotore submissè devenerando,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA AC PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME CONSEQUENDI,

publicæ censuræ exponit

NICOLAUS LEONHARDUS HEDENUS,

ARNSTETO-THURINGUS, Medicus Provincialis Schwarzburgicus.

ad d. Octobr. horis ante & pomeridianis

In Auditorio Majori.

ANNO M. DC. LXXVI.

JENÆ, Typis NISIANIS.

ILLUSTRISSIMIS, GENEROSISSIMIS
COMITIBUS & DOMINIS,
DN. LUDOVICO GUNTHERO,
DN. CHRISTIANO WILHELMO,
DN. ANTHONIO GUNTHERO,
SACRI ROMANI IMPERII
Quatuor Viris,
COMITIBUS A SCHVVARTZBURG
& HONSTEIN,
DOMINIS
ARNSTETI, SONDERSHUSÆ,
LEUTENBERGÆ, LOHRÆ
&
CLETTENBERGÆ &c.
DOMINIS
ſuis clementisſimis,

ex devotiſſimâ humilitate & ſubjectiſſimâ
animi reverentiâ
Hanc Diſſertationem Medicam Inauguralem
offert & conſecrat
Nicolaus Leonhardus Hedenus.



Proœmium.



Rtificiosam corporis nostri structuram si perpendimus, certè, non utilis minus, quàm admirabilis illa est contemplatio.

Sacrarium si accedimus gratiosæ consecratum Veneri, uterum puto, cogitandum de illo, quod de Diogene dicitur, qui, cum in tuguriolo fumario, ad evitandam frigoris inclementiam, nonnihil commoraretur, prætereuntes, quos loci vilitas ab ingressu absterrebat, his ad aditum invitabat verbis: *Introite, nam & hic DII sunt.*

Locus etsi valdè obstrusus, & inter reliquas corporis partes ultimum sibi vendicet locum, minimè tamen ob hanc rem superioribus postponendus, utpote ob operis gravitatem utilissimus; est enim tum ad conservandam individui salutem, tum speciei, quâ mortalitas nostra in perpetuitatem quandam æternitatis illius æmulam vindicatur, propagationem conditus.

Constat, formosissimum ibi, perfectissimumque totius naturæ efformari; ex loco illo abstruso & impuro, purissimum illud, in quo & divina imago visitur, producitur, homo scilicet omnium mirabilium maximè sacrum & mirandum.

Hæc una pars omnium optima & nobilissima, si tam divinum hominis conditorium; hæc ipsa tamen omnium

quoque pessima est, si lernam malorum & morborum innumerorum promptum condum respicias.

Ex illis gravissimum pro DISPUTATIONE INAUGURALI propono affectum, Epilepsiam nempe hystericam, Deum Optimum Maximum obnixè rogans, ut nobis Divinâ sua gratia adsit, quò omnia in ejus sanctissimi nominis gloriam, hominumque salutem vergant.

CAPUT I.

Nominalem proponit analysin.

OMisso prolixiori verborum apparatu, paucis erit enodanda nominalis definitio.

Cùm autem affectus noster diversis constet vocabulis, singula paucis considerari merebuntur; Epilepsia quidem ἀπὸ τοῦ ἐπιλαμβάνεσθαι, quòd unà, seu simul cùm sensus opprimat, seu ut loquitur *Heurn. in aphor. VII. l. V. Hippocr.* subitò sensuum omnium afflictione prehendat hominem; tum quoque universas corporis partes. Vid. hanc in rem *Sennert. l. 1. prax. c. 31. p. 2.*

Ἱερὴ νόσος dicitur, vel respectu habito ad partem, quam invadit, nobiliorem, mentem scilicet, vel ad magnitudinem morbi, quod enim nobis magnum est, veteribus sacrum dicebatur.

Herculeus passim dictus legitur, seu quòd Hercules passus sit hunc morbum, seu potius ob vehementiam morbi, quia utplurimum est δυσίατος, seu ob remedium Herculeum, quasi ut profligatur opus est.

Mittimus alia, quibus aliàs inscribitur, nomina, quæ sive epilepsiæ respiciamus notionem, sive hysterici affectus, præ omnibus aliis huic obtigere quamplurima.

Hysterica à loco affecto dicitur, ἀπὸ τῆς ὑστέρας, *utero*, hinc ὑστερικὸν, quod ad uterum spectat, ab ὕστερον *postremo*, quia uterus

uterus postremum, seu ultimum inter reliqua viscera occupat locum, hinc ὕστερα, secundinæ, quia postremò post partum egrediuntur.

Passio sive *suffocatio* quibusdam audit *uterina*, quia ratione symptomatum aliqualem inter se obtinent convenientiam, de qua in differentiis.

Licet verò nomen Epilepsiæ latius paulò pateat, ita ut in genere quamcunque convulsionem notet, sive cerebrum sit primariò, sive secundariò affectum, morbus sive sit infantum, sive adultiorum, hæreditarius, sive acquisitus, addito tamen epitheto, ad partem restringitur affectam. Hinc adeò epilepsia hysterica strictius hîc nobis accipitur à loco, qui est uterus, à quo mediante vapore aut spiritu maligno, aliis corporis partibus postmodum insinuato, talis producitur morbus, atque hinc modò totam corporis machinam, modò partes ejus, miseris distorquens modis, invadit, & id propter longè graviora conjuncta habet symptomata, quàm vel sibi relicta, vel ab aliis causis producta, epilepsia.

Caput II.

Definitionem exponit realem.

PRæmissis præmittendis definitionem aggredimur ipsam, quæ talis esse potest: *Epilepsia hysterica est sensibilis functionum principum læsio, cum motu convulsivo, modò totius, modò partis saltim, ab insigni irritatione nervosi generis, ab utero oriundâ, dependens.*

Concinnè quod aliàs à Comico dicitur: *quot homines, tot sententiæ*, hâc vice verum deprehendimus; in formali enim hujus affectus ratione constituendâ, Autorum dissensus ubique obviam est, cùm magna in eo sit symptomatum varietas, & nunc plura, nunc pauciora, per unum enim symptoma vix definiri potest.

GENERIS locum nobis subit sensibilis functionum

principum læsio, principaliter quidem animalium, adæquatè vitalium. Animales aliæ sunt αἰσθητικαὶ *sensitivæ*, aliæ κινητικαὶ, *motrices*, aliæ ἡγεμονικαὶ *principes*; singulæ hîc patiuntur. Experientiâ enim constat, sensus tam externos, quàm internos collabascere, ita ut neque pes, neque mens suis fungi valeat officiis, nec nisi vitiosè, & inordinatè moveri membra invita, reliquaque cessare non minus aut turbari animæ munia.

Neque verò hîc attinet, ut prolixè disputemus, utrum sensationis abolitioni, an convulsivo motui primas in assignandâ formali ratione adsignemus. Certum enim est & stabile, animales facultates omnes, ut jam dictum, tùm motivas, tùm sensitivas & principes labefactatas; in aliis magis has, in aliis illas, siquidem imperfecta fuerit passio, læsas deprehendi: neutrum sine altero absolvere affectus formam; potiorem tamen penes naturam esse rationem sensuum, eorumque diribitoris, quàm motus, qui non continuus adest, ut aliarum facultatum læsio, sed per intervalla recurrit, atque interpolatur, ideòque meritò ad id, quod magis læditur, respiciendum. Notandum tamen, dum in animali territorio tantæ clades impetunt, in nostro affectu inprimis non tantum in nervis, ut in idiopathicâ, vitium latitare, verùm etiam vitalem provinciam, & sanguinis undas ejusque canales non immunes hîc abire.

Quænam autem functiones prius afficiantur, non ita dictu facile est, an omnes simul, an verò successivè lædantur.

Principes facultates in cerebro sedibus distingui, quidam statuunt, & ex horum hypothesi cuilibet operationi suus assignatur locus, si hoc, res non adeò intricata fuerit; alii aliter sentiunt. Verùm priorum opinio jamdudum est explosa, nos probatorum Autorum vestigiis insistere, satius esse putamus, dicendo, omnes simul ad sensum perire functiones, ab unâ eademque origine oriundas, uno enim ictu ægrotantes præcipitantur. Neque obstat modò has, modò illas primariò vel secundariò affici, prout vel ad cor, vel ad

cere-

cerebrum μιάσματος maligni fit accessio; sic vitalis facultas prius sæpè opprimitur, quàm animalis, hæc enim illius mutuatitiâ radiat luce, utræque verò amicè conspirant, unde unâ affectâ, alteram pati quoque necessum est.

CAPUT III.

Subjectum explicat.

IN assignando Subjecto affectus nostri præsupponenda sunt, quæ de afficiendi modis in scholis medicis recepta sunt, distinguendo nimirum v. g. inter *affectum essentialem*, seu idiopathicum, & *per consensum*, seu sympathicum. 2. Inter *locum* & *focum*, ex quo ceu fonte principali propullulat malum. 3. Inter subjectum *causæ* & *symptomatis*.

Cum enim dicimus epilepsiam hystericam, duo indigitamus, ipsum affectum, ejusque modum, ac sedem.

SUBJECTUM SYMPTOMATIS est cerebrum quoad membranam potissimum tenuem, & totum adeò consequenter nervosum genus. Hoc, ut verba Pathologiæ scriptorum curatiorum nostra faciamus, ab & cum alio membro, utero nempe h. l. afficitur, ita quidem ut ab indispositione omni liberum non sit, foveatur tamen morbus alibi, indeque ad illud deducatur causa.

Affici verò cerebrum in epilepsiâ extra controversiam est, idque manifestant convulsivi motus, actionumque animalium læsiones, quarum imperio præfectum est. Imò eousque hinc procedunt quidam, ut à cerebro & nervoso genere potissimum dependere passiones hystericas asserant, ob motum convulsivum, qui præsens est, cum non minus ac alii motus convulsivi à spirituum animalium explosionibus producantur.

SUBJECTUM CAUSÆ ac PRINCIPALE est UTERUS, fovens secum & procudens vitiosum inquinamentum, ut ceu è scatebrâ hinc cœli microcosmici tectum feriat. Uterus, *inquit*

inquit Harveius Exerc. de part. p. 175. eſt pars principalis, quæ totum corpus facilè in conſenſum trahit; nemini ſanè, *pergit*, ignotum eſt, quàm prava ſymptomata uteri aſcenſus, deſcenſus, perverſio & convulſio concitent, quàm ſtupendas animi aberrationes, deliria, melancholias & furores, tanquam incantamento faſcinatis, affectus uteri p. n. incutiant; quot etiam morbos ægrè curabiles, menſtruorum depravatum profluvium, aut Veneris uſus diu nimis intermiſſus, valdeque deſideratus inducant. Cum ergò æterno fœdere gaudeant cerebrum & uterus, ipſumque adeo cor, non mirum eſt, præter alia plurima epilepſiam quoque inde arceſſere ſuam originem, ſi materia vitioſa, conſenſus interpres, nervis inimica ſit, ſi cerebri conſtitutio debilis & εὐπαθητος, aliaque conſpirent, de quibus inferius.

Neque obſtat, unde unde ad uterum ſentina talis confluxerit, ſive propriâ diſpoſitione vitioſâ ibi generata, ſive viſcerum aliorum quoq; conſenſione patiatur; ſufficit ipſum reſpectu cerebri primò affectum, licet ex ſympathicâ paſſione ſucceſſu temporis eſſentialis evadere quoque poſſit.

CAP. IV.

Cauſas examinat immediatam & mediatas proximiores.

AD deſignandam immediatam cauſam, cognito jam ſubjecto, progreſſio erit facilis. Cum enim cieatur ad motum vitioſum, & quidem verſus originem factâ reciprocatione nervoſum genus, eſſe aliquid oportet, quod ipſum cerebrum quoad ſenſibiles quam maximè illius membranas, quod nervos vel conſecutione illâ, vel in particulari peregrinâ irritet ac vellicet offensâ, ut non tam inſtar funiculorum membra trahant, quàm ad muſculos, in quos implantati ſunt, id ipſum irritamenti genus deferant. Et uti

portitores

portitores animæ sunt spiritus animales, necessariò horum turbatio & motus vitiosus simul adest. Neque tamen illi soli in abstracto quasi accusari queunt, quod vel rarefactione vel explosione vitiosâ eclipsin hanc causentur, sed esse aliquid quod spiritus animales afficiat atque irritet, unà cum nervis, seu nervos his imbutos, vel horum præsidem cerebrum potius necesse est.

Missis itaque aliorum assertis, IMMEDIATAM CAUSAM epilepsiæ hystericæ statuimus *irritationem* insignem nervosi generis, principaliter in utero, quem nervosum, membranosum, vasorumque plurimorum receptaculum ac quasi terminum esse constat, adæquatè in cerebro, utrobique insurgente naturâ ad expulsionem ejus quod negotium facessit. Positâ hinc insigni irritatione dictarum partium motus convulsivi adsunt.

Quodnam verò sit illud ipsum, quod irritationem hanc nervosi generis exerceat, porrò quæsiti adsignamus pro MEDIATA PROXIMIORI CAUSA *vapores & humores*. Testantur φαινόμενα plurima subtilem esse admodum hanc materiam, unde cum *D.D.Præs.part.2.sect.5.n.11.Theorem.medicor. ab acri, bilioso vel acido magis volatili* illam arcessimus.

Si itaque humores talismodi & vapores peccent *quantitate* & accumulati restagnent in utero, vel illuc missi; si *qualitate* vitiosâ dictâ imbuantur, vel inquinati sint; maximè verò si *motu* peccent *generationis* & *locali*, facilè oritur epilepsia hysterica.

Generantur autem iidem vel in ipso utero, congesto illic, corrupto, atque ichorescente sanguine, sero, semine; vel in visceribus hæcce respectivè elaborantibus depurantibusq;. Uti enim hystericæ pleræque simul sunt hypochondriacæ, ita hepatis, lienis, mesenterii, pancreatis concurrente vitio, longè præsentius dira hæc erynnis tyrannidem suam exercet. Hinc ex frequenti *D.D.Præsidis* experientiâ bilis volatilior, & acrior congesta, si ab utero accedit præsertim stimulus, vasis confusa toto die epilepticas efficit; hinc eâdem cum acido remixtâ id ipsum quoque prom

ptè

ptè contingit, unde atrabilarii facilè fiunt epileptici.

Membrum mandans ergò est principaliter uterus, remotius viscera infimæ culinæ alia; Uterus procudit epilepsiam, omni morborum genere intimius affectus, intemperie, materiali, inæquali, obstructionibus, unitate solutâ, ut mox pluribus dicemus, præterea ipsus quasi sentina est totius corporis, in quo quidquid vitiosi continetur, huc redundat, sive per συναθροισμὸν & στάσιν in eo colligantur μιάσματα, sive per ῥευματισμὸν ad illum confluant, factâ hinc cum regiâ animæ arce communione.

Membrum recipiens est genus nervosum, tum in parte, nam & uterum convelli posse ipsum certum est, tum inprimis in origine, seu cerebro, ubi eminenter illud & viget & producitur. Fit verò epilepsia hysterica non quidem in omnibus, quibus uterus impuris ejusmodi inquinamentis scatet, nam & alia producuntur alibi inde symptomata, attamen in iis potissimum, quibus recipientis hujus obtigit infirmitas, quibus cerebrum & nervosum genꝰ est debile, magis εὐαίσθητον & dispositum; sive hæc debilitas sit nativa, hæreditaria, connata, vel acquisita & subsequa.

Sanguinem accusavimus; notum enim est, quòd is in fœminis non ad individui solùm necessitatem, seu corporis nutritionem, sed & speciei propagandæ usum & fœtui alendo aptus natus sit; natura ab hoc otiosa opere, superfluum ad uterum amandat, ut per illum evacuetur. Licet verò virgines & mulieres, si singulis mensibus repurgentur, minus epilepsiæ esse obnoxias, asserat *Zecch. consult.* 9. attamen exitus hic si denegetur ob obstructionem viarum, ipsiusve maximè sanguinis indispositionem quamcunque, nimiâ copiâ in vasis redundat sanguis, illaque nimium distendit, ad cor regurgitat, à debitâ crasi recedit, & facilè epilepsiam hystericam generat.

Neque tamen absolutè mensium fluxus constans sexum sequiorem ab hoc reatu liberat, quin ex observatione *D.D. Præs.* & nostrâ multæ etiam affectu nostro tentantur, quæ lunare tributum exquisitè fundunt.

Eva-

Evacuationem hanc solennem cohibitam epilepsiam dedisse, exemplum refert *Hildan. c.3. observ. 61.*

Serum itidem, quo magis pollent fœminæ, ut salium sylvestrium acrium vehiculum constituit, ita particulis biliosis, in coagulum abeuntibus, acidis, ponticis saturatum insignem contrahit maculam, quam nervis affricare satagit. Imò humores hi ratione qualitatis, aliàs benigni & laudabiles, extra elementum suum in uteri cavitate, aut vasis ejus subsistentes, degenerant & naturam planè peregrinam ac hostilem induunt, grumescunt, putrescunt, unde postmodum corruptione hâc maligni vapores enati, & vitali purpuræ nupti varia alia inferunt symptomata, & inter hæc ad cœlum microcosmicum elevati præcipuè nostrum affectum.

Seminale virus in ovario contentum, ac intempestivè cohibitum, non minus quàm sæpissime epilepsiam hystericam ciere, experientia testis est exceptione major. Copiâ & qualitate peccans ὀργασμὸν contrahit, stimulat, imò sæpe putridum concipit ichorem, qui in massam sanguineam diditus & hoc malum & sexcenta alia producit. Hujus rei exemplum adducit *Zacutus Lusitanus l. 2. prax. admir. observ. 93.* virginis maturæ, quæ ab hâc causâ præter alia symptomata sat gravia, animi deliquium & epilepsiam horribilem passa est, solo tandem conjugio restitutæ. Geminum huic aliud observavit *B. Rolfincius Ord. & Meth. comment. l.14. s.3. c.7. p. 1019.*

Viæ, per quas talismodi vapores & humores partim ad cor, partim ad caput, vel ad alias evehuntur partes, sunt tum nervi, tum arteriæ & venæ.

Nervi id præstant δι' ὁμοιοθυΐαν, ob *generis similitudinem* & communionem, idque potissimum mediantibus spiritibus. Neque obstat vel cavos eos non esse, vel spiritus animales non æquè ut vitales circulari, de quo tamen vid. *B. Schenck. Colleg. problem. probl. 105.* est enim inter eos & cerebrum perpetua reciprocatio, ut inter solem & radios, unde hac via facillimè coafficitur nervorum & spirituum metropolis.

Inventâ verò circulatione ſanguinis res cum arteriis & venis non minus ſalva eſt. Minera enim epileptica vitioſa communicatur cum cerebro, quando ſanguis arterioſus ex minutis arteriis, in ſanguiductuum cerebri apices & latera reditu circulari commeat: cerebrum enim, prout ſanguis magis vel minus impuritatibus ſcatet, repletur vaporibus, ſi ductus vel apices horum meatuum, qui in itu pateſcunt, in reditu clauduntur, ita, ut poſtmodum neque ſanguini, neque vaporibus liber refluxus pateat, perturbantur ſpiritus, his in ἀταξίαν adactis, & vellicatis nervis convulſio epileptica accidit.

Poſitis hiſce patet quoque, cur modò hæc, modò illa pars, modò totum corripiatur corpus, & modò cor ſuos patiatur manes, modò cerebrum, ſiquidem quæ epilepſiâ hyſtericâ laborant, ſæpe loco convulſivorum motuum ſyncopen patiuntur, vel animi deliquium. Hæc quidem vario modo contingunt, prout materia morbifica major vel minor, prout item copulam exploſivam à capite deſcendentem, velut pulveris pyrii acervos, modò in hac, modò in illa parte plus aut minus congeri accidit. Sic quandoque contingit, diſpoſitionem ſpaſmodicam non ita longe lateque protenſam eſſe, ita ut præter nervos paris vagi & intercoſtales, ubi convulſiones modò in imo ventre, modò in hypochondriis ſentiuntur, nulli plectantur: interdum verò cerebrum cum reliquis paribus infeſtatur, ubi convulſiones hinc & inde perſentiuntur, & magis ſymptomata ſunt effera.

CAPUT V.

agit de Cauſis mediatis remotioribus.

CAuſæ mediatæ remotiores ſunt variæ, naturales utpote, non naturales, & præter naturales.

Ex NATURALIBUS his TEMPERAMENTUM calidum, ſanguinem attenuat & fundit, & ad ſalſedinem acredinemq; diſpo-

disponit; siccum excludi nequit, absente enim humiditate, quæ aliàs quasi frenum caloris, facilè à prædominante calore humores aduruntur, sicque majorem lancinandi ac pruriendi vim acquirunt; frigidum, ubi sanguis nimis crassus & viscidus, & ita ad putredinem aptus natus, vel denique quodcunque excedens momentum mali afferre sufficit.

Sexui verò fœminino uti epilepsia hæc propria est, ita quoad Ætatem, puberibus, juvenculis, viro maturis, nubilibus, viduis, magis accidit, quin nec edentulæ excipiuntur, quale exemplum nobis constat vetulæ sexagenariæ, miserrimè hoc vexatæ malo, periodis sæpius recurrentibus.

Nec conjugio æquè absolvuntur, unde observavit *Fernelius*, non paucas mulieres, quoties uterum gestarunt, crebrò epilepsiâ corruentes, expeditas verò nunquam, *l. 5. pathol. c. 3. p. 523.*

Inter RES non NATURALES Aer plurimum confert, in illo potissimum statu, quo vel instabili tempestatis alteratione, qualis est austrinus, vel excessu qualitatum primarum & secundarum humorum & spirituum motum turbat, effluvia & recrementa fuliginosa cohibet, turgescentiam efficit, ad putredinem disponit.

Hinc epilepsia hysterica vere potissimum, autumno, & hyeme, præsertim in adultis ferocior esse consvevit, æstate verò, respectivè fere mitior.

Inprimis verò aer quoque quam maximè disponit ad hunc affectum, si influxibus astrorum infaustis humoribus ideam epilepticam imprimat, ut in genere notum est, à ☽æ & ☿ii statu tum ad se invicem, tum ad maleficos ♄ & ♂, id, si quid aliud ex astrologiæ effatis colligi. In specie observata est epilepsia hysterica gravissima à *D. D. Præside*, ubi ☽æ in Domo xij. ♂ opponeretur, ex v, cum duplici □ ☿, ♂, ☽æ, cum □ ♄ ♀, par ratio est aspectuum similium.

Referri huc merentur etiam suaveolentia, quod rarefactionem & motum spirituũ promoveant, & sopitum hospitem accersant, licet id non æque sit perpetuum & universale.

Victus, ratione ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatis & utendi modi fit cauſa morbi.

Sic cibi δύσπεπτοι καὶ κακόχυμοι chylificationem lædunt, quæ vix in ſecundâ & tertiâ concoctione corrigibilis, humores vitioſos coacervat, ſicque variè malo huic fores aperit.

Sic ſi vel in exceſſu vel defectu committatur error, id ipſum quoque multum confert. Illud juxta *2. aphor. 51*, periculoſum, inde enim cruditates, acores, & ſordes in primis viis & vaſis, obſtructiones & alia mala oriuntur; hoc noxium eventum, quatenus exagitantur humores, utiles conſumuntur, ſanguis à diuturnâ coctione aduritur & bileſcit.

Sic acida, dulcia, lacticinia fœminis, uteri affectibus & inprimis epilepſiæ obnoxiis inimiciſſima, ſalſa item nimis & aromatiſata, ſingula pro ſuo modulo plurimum conferunt ad mali productionem.

Inprimis verò ex dictis multum nocent ea, quæ bilem & bilioſam acrimoniam acervant, eandem volatiliſant, & hinc nervos noxia ſua qualitate feriunt. Hinc & potus nimius & frigidus accuſandi veniunt, inprimis vini, quale exemplum refert *Thonner. l.3. obſerv. 1.* de virgine, quæ ex vini cydoniati potu largiore in epilepſiam hyſtericam fuit præcipitata.

Somnus & Vigiliæ ſi ritè inſtituantur, vires proſtratæ refocillantur, ſin minus, diſſolvuntur, coctio turbatur, cruditates cumulantur, cerebrum totumque corpus exſiccatur.

Motus intempeſtivus, uti in cacochymicis mirè turbat humores, ita inprimis epilepſiæ hyſtericæ excitandæ ſufficit; augendo uſum, & unà actuando ſopitos igniculos; uti è contrario vita ſedentaria coacervat excrementa, torpidumque reddit ſanguinem, ne vigore ſuo flamma vitalis perſtet.

Excretorum & Retentorum quoque inſignis efficacia eſt; evacuationes enim conſvetæ ſi ſupprimantur, inprimis menſtruæ, & ſeminis, vel quæcunque aliæ, ſi diu-

diutius, quam par eſt, in vaſis circa uterum commorentur, fieri non poteſt, quin labem ex mora contracta contrahant aliquam, quam in ſuperiorem ſphæram evibrent. Sic alvus obſtructa, ſudores ſuppreſſi, urina reſtitans huc referenda. Simili modo utiles ſi nimium evacuantur humores, ſpiritus depauperantur, vires exhauriuntur, corpus debilitatur undique, uti hoc videre licet in vulnerationibus vel quacunque hæmorrhagia larga; ſpiritu enim vitali plurimum evaporato, cruoris maſſa quaſi vappeſcere incipit, totaque maſſa ſangvinea alienam induit veſtem.

Animi Pathemata non minimam in hac progeneranda afflictione vim obtinent, cùm & illa ſuum habeant dominium in humores & ſpiritus, quippe obſervare licet, hunc affectum à ſubito terrore, ingenti triſtitiâ, invidiâ aut indignatione, aliave animi paſſione paulò exceſſivâ, in quâ ſpiritus cerebri hoſpites potiſſimum afficiuntur, crebrò exortum ducere; fœminæ enim à ſubito terrore aut ingenti triſtitia maximas ſpirituum inordinationes ſubeunt, ob conſtitutionem animalem longè debiliorem, ob cerebrum & nervos molliores, & alia.

CAUSÆ PRÆTERNATURALES quæcunque uterum ita diſponere poſſunt, ut is ſuo officio minus ſecundum naturam fungi valeat, idemque adeò irritetur, convellatur & epilepſiam à ſe dictam fabricet. Sic memorata jam menſium obſtructio, fons infinitorum & hujus mali; ſic partus difficilis & cum majori nixu aut importunâ tractatione factus, vellicationem nervorum inducit frequenter, qualia triſtia exempla ſæpius vidit *Dn. D. Præſes*, ubi vel ſtatim à partu epilepſiâ enectæ ſunt puerperæ, imò quandam novit, cui quaſi fragor quidam in capite auditus eſt, ſubſequente brevi morte; ſic abortus ipſe non rarò motuum convulſivorum tum particularium ipſius uteri, quos manu tetigit idem, tum univerſalium totiꝰ corporis autor eſt. Sic lochia retenta purpuram & epilepſiam parturiunt. Sic ſectio cæſarea epilepticas minatur convulſiones, quicquid etiam glorietur pro ſecuritate Ruſſetus. Vid. *B. Rolfinc. diſſert. anat. l. 1. c. 13. p. 182.* Sic

vitioſa

vitiosa uteri dispositio, tumores, aut ulcera, aut humorum acrium congestiones, vel in ipso utero vel partibus membranosis circa illum; ob solutionem postea continui in spasmos dolorificos præcipitant. Refert etiam *Harveus* ab injectione uterina acriori convulsiones mirandas excitatas fuisse. Omittimus in assertorum veritatem specialia exempla plura recensere, quippe quæ & hinc inde adnotata leguntur à practicis, & toto visuntur die.

CAPUT VI.

enumerat differentias.

DIFFERENTIÆ ex hactenus dictis petuntur I. *à genere*, ratione vehementiæ, 1. alia est *perfecta*, & *magna*, alia *imperfecta*, & *mitior*; hæc enim symptomata habet remissa & quæ cito solvuntur, & frequentior est, illa verò contrario modo se habet, licet rarius paulo contingat, & non nisi morbo hoc in statum pessimum evecto. 2. Quædam *recens* est, alia *inveterata*. 3. Alia est *periodica*, quæ certo tempore hominem invadit; ubi inprimis memorandum est; ingruere & hanc magis, vel instante mensium fluxu, vel quadris ☽æ variantibus, maximè verò circa novilunii vel plenilunii punctum, mirando profecto macrocosmi cum microcosmo consensu; alia *inordinata*, quæ periodos non servat.

II. A *Subjecto*. Alia est *universalis*, ubi spasmi universales; alia *particularis*, cum in hâc vel alterâ parte percipitur passio; alia *simplex*, alia *implicata*.

III. A *Causa*. Alia est ab *intemperie* uteri *calidâ*, ubi fœminæ in venerem pronæ sunt, menstrua corrumpuntur, & aduruntur quasi, hinc difficilis menstruorum fluxus, dolori capitis sunt obnoxiæ.

Alia ab *intemperie* uteri *frigidâ*, ubi humores ad putredinem sunt proclives. Alia à *semine* retento & corrupto. Alia à *suppressione* mensium. Alia ab aliis excrementitiis humoribus, in utero detentis & corruptis; imò quot causæ fuerunt

runt

runt recensitæ speciales, tot etiam differentiæ statui hîc possunt.

Differt verò ab aliis affectibus, nominatim à suffocatione uterinâ & syncope; utut enim interdum complicati videantur, vel se invicem excipiant, sequantur vel antecedant, attamen differentia facilis est, si symptomata ceu testes singulorum consideremus, neque subitâ prehensione, quæ hisce ut & apoplexiæ est communis, decipiamur; præsertim cum suffocatio uterina ferè gradu saltem differre videatur, mulier enim epileptica raro recordatur eorum, quæ illi acciderunt, non audit, non intelligit, habet ferè, præsertim cum epilepsia valentissima est, spumam in ore.

In syncope verò omnis motus perit, qui in hystericis convulsivus est, interdum quoque sensus aliquis remanet, ut alia taceamus, de quibus jam sub signis dabitur dicendi occasio.

CAPUT VII.

Signa diagnostica exhibet.

SIGNA DIAGNOSTICA ratione *generis*, tum imminentem, tum præsentem epilepsiam hystericam patefaciunt. Utraque hæc vel communia sunt, vel propria.

Imminentis signa sunt motus uteri & partiũ abdominis convulsivus, murmur & sonitus tensioq; ventris inferioris, dolor hypochondrii dextri vel sinistri, lassitudo totius corporis, dolor vehemens, inordinatus membrorum motus, præsertim linguæ, ita ut vix verba distinctè proferendi detur copia, anxietas & tremor cordis, torpor actionum, tùm animalium, tùm vitalium, deglutitio difficilis, respirationis & pectoris constrictio, tristitia sine causâ manifestâ, pavor, & extremorum concussio, vertigo, rubor faciei, tumor lumborum, strepitus circa ventrem, aliaque.

Præsentis & quidem perfectæ signa sensibus occurrunt: corruente machinâ actiones tum animales, tum vitales abolentur desubito, vox planè intercipitur, insultus epileptici seu

motus convulsivi extremorum, oculorum, corporis totius se manifestant, dentes violenter committuntur, strident, ut lingua sæpe admordeatur; in graviori casu spumam modò loturæ carnis similem, modò fœtidam emittunt, ipsi omnium inscii.

Ad cor si fertur vapor, ejus actiones prosternit, spiritusque vitales lædit, spirituum scil. vitalium influxu, & caloris nativi ad extrema inhibito, imò spiritibus ad cor recurrentibus, totum corpus externè frigescit, pulsusque imminuitur, & lipothymia cum syncope præ foribus adstant.

Ubi verò idem vapor ad cerebrum ascendit, quod sæpe variat, spiritus animales, ut jam dictum, turbantur, eorumque influxus prohibetur, sensus & motus animalis læditur, unde etiam motus musculorum thoracis & diaphragmatis impeditur, respiratio redditur difficilis, imò sæpe quasi suffocantur, inflatâ & rubente facie, voce singultiente.

II. Ratione Subjecti, locus specialis vaporem vel humorem mandans, probè est attendendus, ne error committatur in curatione, & remedia sola specifica v. g. antepileptica, neglectâ uteri attentione abhibeantur; de quo inprimis legi meretur *Brunnerus consil. 14. & 15. p. 86. seqq.*

Convulsio quidem adest corporis modò totius, modò partis saltem alicujus, quod ex dolore, tensione, motu, contractione, tumore aliisque pro diversitate membrorum patescit; ast sola convulsio, ut in epilepsiâ simplici non adest, sed simul alia habet symptomata & circumstantias, antea allata. Exemplum cujusdam uxoris refert *River. Cent. 2. observ. 31.* per multos annos variis affectibus laborantis hystericis, adventantibus tandem insultibus epilepticis.

Hinc vel ex ipsius ægræ vel adstantium relatione percipi potest, utrum affectibus hystericis alio quoque tempore fuerit tentata, an aliàs ab ineunte ætate correpta epilepsiâ.

Patet igitur id tum ex antecedentibus, si præcedant id symptomata uterina, si eodem tempore, quo menses primum incipiunt fluere, vel postmodum fluunt, incipiat vel comitetur malum; par ratio est aliorum uteri reatuum,

vel

vel, quas edit, actionum prægressarum; tum consequentibus, paroxysmo enim exantlato capitis gravedo minor vel nulla, nec facultatum animalium læsio sentitur; juvant hysterica, non item pura puta antepileptica &c. Adeoque si male habeat uterus, facilis deprehensu est focus; neque tamen licet minus manifesto æque id pateat, ut si à semine retento fiat &c. expers statim putandus & à culpâ absolvendus idem.

III. Ratione Causæ signa causarum variant pro diversitate humorum corruptorum; Epilepsia si fuerit orta *à sanguine* menstruo, diu nimis retento vel corrupto, sentitur lassitudo totius corporis, & gravitas insolita à copioso sanguine per universum corporis habitum recurrente, color faciei pallidus, respiratio difficilis, tumor pedum, cibi fastidium, dolor lumborum, pubis, aliaque adsunt.

Si à *materiâ seminali*, ostendit id ætas juvenilis, ceu veneri magis sacra, conjugium sterile, viduatus citior, temperamentum calidius, abstinentia à re ♀reâ aliàs celebratâ, ab aspectu rerum venerearum symptomatum exacerbatio, generosorum remediorum frustranea adhibitio.

Si *à sero* acri vitioso, præcesserunt vel adsunt fluor albus, menses dolorifici, pallentes, grumosi, immodici, ardor genitalium, & similia.

Abortus si præcesserit, vel partus, vel uterus aliàs non rite dispositus, ex ipso præsenti statu, relatione, vel propriis fontibus id colligere licet.

Caput VIII.

Signa prognostica recenset.

Sicuti in omni de futuris deliberatione, decet prudenter & circumspectè sese gerere quemvis, ita vel præcipuè medicum, ne ignominiæ maculâ sese imbuat, suamque existimationem famæ discrimini exponat idem; hinc probe consideranda signa prognostica, secundum Salutis & Mortis Eventum.

Et quidem ratione generis, quamvis sexui sequiori calamitosum, fœdum, periculosumque sit satis malum, attamen tam pertinax non est, ut epilepsia idiopathica, nisi sit inveterata, aut convulsio cum aliis gravioribus morbis complicata, quæ funestum pronunciat eventum, & è vita ægram omnino tollere valet.

Recens, transitoria, & quamdiu sympathica manet, mitior & curatu facilior habetur, quàm continuata, inveterata & longiore insultu & assuetudine quasi idiopathica facta, quia non ita firmiter circa nervorum principia malum hæret, neque cerebrum ita concutitur, & contrahitur, ac si ex hospite inquilinus sit factus affectus; sed aura illa vaga est, & in particulares sæpe solùm detruditur nervos.

Periculosior illa, quæ à semine corrupto, quam quæ oritur à sanguine, reliquisque humoribus, cùm semen corruptum pejorem induat naturam, quàm sanguis & reliqui humores.

Partes quò plures, eæque nobiliores in consensum trahuntur, eò malum exitiosius existit.

Ab utero vulnerato admodum periculosa, & ut plurimum lethalis. Quò diuturnior paroxysmus, eò morbus gravior.

Prægnantibus ob metum abortus, periculosus morbus est, argumento *5. aphor. 30.* parturientibus & nixu graviori delassatis, ubi sæpe prius quasi dormiens excitatur, ut plurimum lethalis, quando nempe tunc demum insuetæ irruit gravius, aliàs verò eâdem afflictæ non æquè facilè visuntur partu interveniente vel corripi vel correptæ mori; quin epilepsia gravidarum post partum evanescere solet. *Vid. Zacut. Lusit. M.P.H. l.1. hist. 32. p. 58.*

Quoad tempus eventus seu Longitudinis & Brevitatis prædictionem, principiis si obviam eatur prius, quàm radices altiùs egerit, exstirpari potest.

Junioribus spes superest, si ortum traxerit à semine aut sanguine superfluo, & veneris amplexibus locus si sit relictus. Quibus item annis pubertatis contingit, mutationem recipit

recipit facilius, menstruorum eruptione &c. *5. aph. 7.* neq; tamen cum iis semper commoritur, quas post vicesimum quintum annum invadit. Quod si verò causa gravior subsit, & ipsum cerebrum mali labem omnem quasi ad se derivaverit, nec remedia generosa, mutatio vitæ, ætatis, & similia juvent, sæpe etiam comitatur ad mortem, molestum vel diuturnitate solâ, tum ægro, tum medico malum.

Modus Eventus ad salutem fit, si operationes animales non exquisitè læduntur, vel labefactantur, sensus & motus si aliquo modo superstites manent, & paroxysmus non diu durat, tunc malum non calamitosum usque exclamandum, morbumque brevi abiturum, facta discusfione & remotione causæ lacessentis, spes concipienda.

Pertinet huc sternutatio, quæ indifferens ferè est, interdum enim affectum præit & prænunciat, interdum finit; illud, ut signum, prodens cerebrum non sufficere displosioni irritantis auræ; hoc naturæ itidem conatum innuit, quæ reliquias hoc modo dispellit.

Ad mortem verò, si morbus in alium graviorem degenerat, inprimis per ἐπιγένεσιν, ut melancholiam, maniam, status tunc periculosissimus.

Malum quò sæpius recurrit, & paroxysmi diutius justo durant, eò exitiosius est, viribus corporis toties debilitatis, ac calore & spiritibus à maligno vapore infestatis, unde tandem, calore nativo extincto, ægram perituram metus est.

Caput IX.

Methodum medendi secundum indicationes aggreditur.

Ordo jam tangit curationem annectendam, quæ absolvitur indicationibus; indicatio autem triplex se offert: Curatoria, præservatoria & vitalis.

Curatoria affectum ipsum, ejusque causam continentem respicit, tempore paroxysmi maximè, quem quovis modo finire vel levare saltim satagit.

PRÆSERVATORIA extra paroxyſmum locum habet; cauſam foventem, & characterem epilepticum averruncare ſtudet, acrimoniæ vitioſæ humorum peccantium occurrit, fluentes ad caput revellit, derivat, evacuat, partis etiam mandantis & recipientis intemperiem curat reſtituendam; aura vel vapor ſi frigidus & craſſus, vel maligna qualitate imbutus, attenuantibus, calefacientibus, diſcutientibus, & quæ proprietate peculiari his adverſantur, ſubvenit.

VITALIS vires cùm totius, tum partium tonum conſervat quarumcunque, inprimis uteri & cerebri robur medicamentis uterinis ac antiſpasmodicis, & alimentis ſecundum ſex res non naturales reſtituendum jubet, reſtitutum conſervandum curat, idque ſelectu apparatu præſidiorum, ex triplici fonte uſitato depromendo.

CAPUT X.

Quid in paroxyſmo faciendum conſulit.

IN PAROXYSMO ad talia, quæ ſymptomata mitigare, cauſamque diſſipare & conſequenter excitare facultatem poſſunt, fugiendum, ubi ſemper altero oculo cerebrum, altero uterus reſpiciendus. Externa ſummæ hîc ſunt efficaciæ, interna non commodè applicari poſſunt, os enim conſtringitur quàm arctiſſimè, dentiumque attritio inſolita id vix permittit, neque deglutitio commoda fit, præterquam in mitiori caſu, ubi & interna commodè locum obtinent; adeoque pro vehementia affectus etiam hæc variant.

Præterea itaque, quæ facienda potiſſimum ab adſtantibus ſunt, detinendo corpus, & ne lædatur cavendo, adclamando nomen, & quæ alia vel excitare queunt ſopitos & detentos ſenſus, (licet quandoque his ſuperſedere conſultum ſit) vel præcavere graviora, monere etiam & conſulere quædam operæ pretium eſt. *Sic Palatum theriacâ* cum ♃to rutaceo permiſta illinatur, vel ∾ *epilept. caſtorei, elix. vit. Matthiol.*

thiol. &c. Non inutiliter etiam aquæ epilepticæ frigidæ *faciei* inſperguntur.

Sic uſu receptiſſima ſunt *naribus* admovenda, inprimis graveolentia, & penetrantia, quorum ſcilicet effluvia poros cerebri aperiunt, ſpiritus nimis turbatos componunt ac in ordinem redigunt, qualia ſunt aſa fœtida, caſtoreum vel ejus eſſentia, galbanum, 🝆 *rutæ, ſuccin. ſpiritus & effluvia urinoſa*, pennæ perdicum accenſæ conveniunt, omnia tamen moderatè, ne vaporoſa hæc ultra quam intendimus agant, & cerebrum repleant. Conſideranda tamen ægrotarum ἰδιοσυγκρασία, quid ferre ſoleant vel poſſint, interdum enim graveolentia præ εὐόσμοις ipſis ſunt moleſta, præſertim in magnatibus.

Sternutatio licet in epilepſiâ rejiciatur *à Cælio Aureliano l.1. tard. paſſ. c. 4. p. 288.* in hac tamen epilepſiæ ſpecie præ reliquis quandoque locum habet, obſervatis circumſtantiis; quia verò corpus nimium commovetur, cauto opus erit, ne plus nocumenti, quàm emolumenti exinde eveniat prægnantibus.

Nucha cum ſpinâ dorſi, benè unguentis, oleis & ſpiritibus nervinis eſt inungenda, addatur 🝆 *juniper. nardin. lumbr. terreſtr.*

Venter inferior 🝆 *laur. de caſtor. rut. petrol. lin. nervin. ſpirituoſo*, ∽ *C. C.* & ſimilibus illinatur. *Fomenta* ſicca ex ſpeciebus paregoricis & carminativis, additis uterinis in uſum quoque commodè trahi queunt, ſimulque *ligaturæ* abdominis egregiam præſtant utilitatem. Sunt, qui cucurbitulam ventri circa umbilicũ affigendam ſuadent. Cucurbitulas ſiccas univerſo corpori applicavit *Rubeus exerc. 38. p. 442.*

Pudendis ſvaveolentia admoveri jubent autores; videndum autem num mulier gravida ſit, ne abortus excitetur. Deinde etiam prius experiri licet, num ſvaveolentia perferre poſſit, etſi enim infra applicentur, nares tamen feriunt, quo caſu conſultius videtur ab illis abſtinere, ne eveniat, quod refert *Thonner. l. 3. obſ. 1.* de virgine quâdam, cui aqua odorifera fuit oblata, à quâ in lethalia incidit ſymptomata.

Plantas *pedum* ſale ac 🜊to, addito ſucco rutæ, vel ſpiritu etiam nervino fricare convenit.

Quid

Quid de clysteribus sit sentiendum, & num in paroxysmo conveniant, vid. *Forest.l.3.p.368.* non, *inquit*, nisi in paroxysmo acuto, locum habent.

Si ergò paroxysmus sit nimis vehemens & diuturnus, alvus clystere stimuletur acriore, quò excrementa in intestinis & locis vicinis latitantia evacuentur, & quæ ad caput tendunt, revellantur, & ad alvum abducantur. Talis potest esse sequens:

℞. *rad. valerian. aristoloch. rot.* a. ℥ß.
fol. artemis. rutæ, summit. centaur. min. a. mj.
fl. til. mß. *sem. carv. pæon.* a. ʒij. *bacc. laur.* n. viij.
agaric. in pet. ligat. ʒij. Coq. in s.q. ▽ font. Col. ℞. ℥x.
add. ☙ *rut.* ℥ij. *elect. bened. laxat.* ℥j.
essent. castor. ℈ß. ⊖ *comm.* ʒß. M. tepidè applicetur.

Deinde etiam circa castoreum monendum, quod à quibusdam improbetur, vid. *Hœffer. Herc. Med. p.312.* in minima quantitate, *ait*, admitti potest.

Vomitoria materiam peccantem & ad superiora vergentem felici cum successu educunt, si ægra nauseabunda & ad vomitum proclivis, aliaq; illum in paroxysmo urgeant.

Si quæ verò specifica nervina propinandi est occasio, ea ex sequenti capite xii. huc mutuari licet. Venæsectio num in paroxysmo locum habeat, dubium est non leve, præter motus enim convulsivos corporis, qui administrationem impediunt, naturæ turbatio, & virium dejectio cum refrigeratione & recursu sanguinis ad cor, aliaque sunt obstaculo.

Ast in leviori insultu, si præcipuè à sanguinis suppressione ortus sit affectus, res Medici prudentiæ, eique quid ægrotantis humeri valeant, quidve ferre recusent, judicandum relinquitur, nullum tamen dubium, meliorem progressum, paroxysmo remittente, sperandum esse.

Caput XI.

Curationem extra paroxysmum Chirurgicam delineat.

Generosum & divinum è Chirurgiâ petitum remedium est

eſt Venæsectio, quicquid etiam contra illam ſeu veteres quidam, ſeu recentiores Helmontiani opponant.

Cum enim tum alia plura mala, tum hoc ipſum noſtrum ex ſangvine propullulent, ſi vel decenter non evacuetur, vel variis modis corrumpatur, redundet, reſtitet, evacuationis, derivationis & revulſionis gratia commodiſſimum eſt remedium ſanguinis per venam ſectam miſſio, inprimis ſi fœminæ temperamenti ſunt calidioris, vires, ætas, & ſimilia conſentiant; in corporibus enim obſtructionibus moleſtatis, & minus calidis, ſangvis mittendus parcius & rarius. Exemplum tale vid. apud *Tulpium l. 1. obſ. c. 10. pag. 22.*

Quoad emiſſionis Qvantitatem, & Tempus, id determinat plenitudinis ipſius & permittentium ratio; Proportio enim inter morbum & remedium debet intercedere.

Locum *generalem* conſtituunt venæ brachii alterutrius, ſi tota maſſa ſanguinea vitium ſecum contineat; venæ pedum, & manuum, ſaphæna, in uno, vel utroque pede, cephalica, aliæque minores *ſpecialem* determinant, & caput ſeorſim juvant, quò ad remotiora revellunt magis. Sic *Zechius conſult. 92. p. 851.* ad imminentem epilepſiæ paroxyſmum cohibendum efficaciſſimum laudat, ſi ſanguinis paululum juxta talum utriusque cruris mittatur. Obſervavit *D. D. Præſes* motum ſpaſmodicum pedum dolorificum in virgine 16. annorum, ob menſium fluxum tardantem, à ſolâ venæſectione in altero pede ante novilunium facta in momento ceſſaſſe; cum verò ſimul & ſemel non liceret in utroque pede aperire ſaphænam, menſe ſequente alter quoque eodem remedio ex toto conquievit. Idem in aphoniâ à convulſione hyſtericâ ſectionem venarum ſublingualium utiliter inſtituit.

Cucurbitulæ etiam ſcarificatæ, & hirudines pone aures, venæſectionis locum ſupplent, Vesicatoria verò & Cauteria tum actualia, tum potentialia potenter materiam peccantem evellunt, & caput ab inſultu liberant.

D Qui-

Quidam in capite cauteria applicanda jubent, sic *Zech. Consult. Med. l. c. p. 850.* in epilepsia ex utero pro efficacissimo prophylactico habet duplex cauterium, cúm in occipite, tum infra, qua summa vertebra cum capite committitur inustum; licet enim hîc cerebrum per consensum patiatur, ex longâ tamen patiendi consvetudine ita afficitur, ut pravos succos assiduè cumulet. Huic adstipulatur *River. l. 1. prax. c. VII.* si conjectura sit, *inquiens*, vapores ad cerebrum exhalantes à partibus inferioribus affectum producere, vel fovere, utilissimum erit causticum syncipiti admovere, vitatis suturis. *Willis de morb. convulʃ. ex uter.* fontanellam suræ aut femori inustam svadet.

Caput XII.

Ex fonte pharmaceutico remedia depromit.

UT curatio extra paroxysmum feliciter peragatur, ex indicationis præservatoriæ regulis causa in utero amovenda erit, quâ sublatâ, conticescere necessum est, quod inde in microcosmo tantas dedit turbas motusque.

Mutuabimur hinc ex fonte Pharmaceutico tùm universalia, tum particularia præsidia, eaque vel evacuantia, vel alterantia.

Lenientibus primus debetur locus, ex quibus seligimus potissimum *aloëtica*, MP. *aloët. simpl.* & *cum* ⊕*lo* ♂ *reform. D.D. Præsidis*, ♀*ear.* ℚ. *marocostin.* &c. Hæc enim leniter abstergendo & alvum muneris sui admonent, nec uti pulposa, vel dulcia fermentationem humorũ promovent; & biliosum inquinamentum evacuant. Referenda huc sunt enemata etiam, jam superius tacta, quæ admixtis carminativis & uterinis faciunt officium, & purgantia ipsa minori præbio, ubi lenientia evadunt, propinata.

Lenientia excipiunt Digerentia & praeparantia humorum qualitati vitiosæ debita, ex uterinis pro indicantium varietate concinnata, potissimum iis, quæ simul sunt nervina. Talia exhibent *herb. artemiʃ. calaminth. rut. rad. bryon.*

bryon. gentian. valerian. paon. fl. cheir. sambuc. anthos, bacc. junip. laur. castor. zedoar. myrrha, & quæ exinde parantur.

℞. *rad. bryon.* ℥ß. *paon. cichor.* a. ʒij.
herb. beton. rosm. meliss. capill. ♀,
dipt. cret. artemis. cuscut. portul. ā, pij.
fl. 4. cordial. anth. lil. conv. a. p. j.
cort. cappar. tamar. fraxin. a. ʒj.
cass. lign. ℈iv. *costi ver.* ℈j.

Concis. contus. g. m. D. in chart. S. Species ins Bier.

Referenda huc tùm ☿iata, tùm ♂lia & ♀ea, aperientia, acrimoniam moderantia, & sangvini peregrinum charactere m ad uterum redundantem eximentia, aliaque ex alterantibus in genere & in specie. Respiciendùm enim hic ad conjunctas ipsas circumstantias, quarum ratione variant præparantia.

Dispositis ita viis & ad exitum præparatis humoribus, propriè dicta PURGANTIA summo cum fructu adhiberi possunt, nisi quid impediat, ut v. g. febris, graviditas, debilitas. Hinc *Smetius miscell. l. 4. p. 214.* paroxysmos tales uterinos à purgatione & rarescere & mitigari observavit. Quomodo enim melius prospici poterit humorum quantitati ac saburræ? quæ nisi remota & eliminata fuerit, optato fine potiri reliqua minus norunt. Præstant id purgantia vel solitaria, vel cum uterinis combinata, ut per ἐπίκρασιν operentur, præsertim in diuturniori malo.

℞. *extract.* ♆ *fœtid.* gr. xv. *helleb. nigr.* gr. iij.
resin. scammon. gr. vj. M. cum *essent.* ☿*ii* F. l. a. Pilulæ. D. in pyxide S. Purgier Pillen.

℞. *pulv. laxat. veget. cathol.* ☿*iat.* a. gr. xv.
fec. bryon. gr. iij. *ol. succin. rutæ.* a. gtt. ij.
M. F. pulv. In chartâ S. Purgier Pülverlein.

VOMITORIA seu ἄνω purgantia quantum conferant epilepsiæ in genere, & nostræ quoque uterinæ, vix dici potest, præsertim si, uti ferè fit, specialis naturæ conatus eò inclinet, & cacochymia ea indicet. Hinc sæpe observavit *D. D. Præses* in praxi suâ, vix domari vel mitigari saltim posse " malum, nisi emetica (par ratio est suo sensu jam laudato- "

 rum

rum purgantium) in auxilium adſciſcantur, quæ materiam in primis viis averruncent, bilemque exuperantem & hinc volatilitate ac fervore ſuo ferocientem depleant & ad frugem deducant. Id ſolum cavendum eſt, ne dentur ægris procidentiâ uterinâ laborantibus, quæ, maxime frigefactæ, hyſtericæ epilepſiæ aliisque affectibus magis ſunt obnoxiæ, & quibus aliàs communiter ob pulmonum vitium & talismodi contraindicantia non conveniunt.

℞. *aq. hyſteric. Ulmenſ. matricar.* a. ℥j.
mannæ vomitor. ℈j. ♀. *emet.* gr. j. M. F. Hauſtus. S. Magentränckleìn.

℞. *fec. bryon.* gr. vj. ♀. *emet.* gr. iij.
M. D. in chartâ S. Brechpülverlein.

Non movemur ergò ab iis, qui vomitoriorum uſum in hoc affectu improbant, quod vomitus caput, hic affectum, concutiat, quod uterum loco moveat, ſubitò ſymptomata ſopita excitet, quod vires debilitet; omnia quippe hæc vel momentanea ſolùm ſunt, neque æſtimanda, ſi cum utilitate inde ſurgente comparentur, vel fruſtra timentur.

SUDORIFERA & DIAPHORETICA ad expugnandum affectum, ſi quæ alia, maximè faciunt, ut & cum ipſis fere ſpecificis coincidant. Ex uſu ſunt unicè, ſive putrida miaſmata ex hâc ſentinâ corporis exhalent, ſive halitus & vapores ſylveſtres ſangvinis purpuræ nupti ſint, ſive alia in utero reſtitent, & de ſe ſpirent infenſum nervis virus. Hæc, inquam, quam maximè penetrant, in herbâ, quod ajunt, enatum fermentum epilepticum ſuffocant, cerebrum ab impreſſione ejusdem liberant, febrim, ſi quæ adeſt, exuperant, & verbo, unice proſunt. Memoramus hic *Tincturam Bezoardicam, Mixturam ſimplicem hyſtericam, Bez. ♂le, ♃le, ☿ium ♂le cachecticum, ~um eboris, cranii humani, cinnabarina* &c.

℞. *Tincturæ bezoard.* ʒj. *elix. uterin. Croll.* ʒß.
~ûs ⊖li cephal. ♀i rectif. vol. a. ℈j.
M. D. in vitro S. Schwitzmixtur.

℞. *Bezoard. ♃lis* ℈j. *cinnab. ☿ii* ℈ß.
magiſt. anod. gr. iv. M. F. pulvis S. Schweißpulver.

Retulit nobis *D. D. Præſes*, ſe ſæpe præſentaneum effectum

ſen-

ſenſiſſe in epilepſiâ hâc à diaphoreticorum hujusmodi uſu.

Quod DIURETICA attinet, ea non minus excellere patet, quod amurcam ſangvinis abſtergant, ſeroſitatem & ichores corrigant ac depleant, uterumque ſeu albo fœtentem fluore, ſeu grumeſcentis ſangvinis ichore, ſeu aliis modis affectum mirificè mundent. Excellunt hic *ſuccinata* & quæ alcalinæ, ſaponariæ ſunt naturæ alia, item acidula ipſa refracta, ſulphur biliosum acre domantia, quorum apparatus ex materiæ medicæ ſcriptoribus & practicis petendus.

℞. *clyſſ.* ℥ii *♆at.* ʒij. *extract. ſplen. bov.* ℈j. M. in vitro S. Alterier und TreibEſſentz.

℞. *magiſt. oc.* ♋, ⊖ *artemiſ.* ⊕*lat.* a. ℈j. *mag. ſuccin.* ℈ß. *ol. ſuccin. pinaſtr. Auſtriac.* ã. gt. j.

M. F. pulvis S. Reinigendpülverlein.

Tacemus decocta aperitiva diuretica ex *rad. fœnic. gramin. rub. tinct. ſ. aperit. hord.* & ſimil. pro re natâ variè apparanda & mutanda.

CAP. XIII.

Alterantia & ſpecifica præſcribit.

UT verò univerſalibus præmiſſis magis toti proſpeximus, ita jam reſtant accenſenda ſpeciatim cerebro ac utero dicata, reſpectu habito ad utrumq; membrum. Hæc ſpecificorum titulo exhibemus, idque eò magis, quod experientiâ practicâ conſtet, & in aſſerta medica receptum ſit, eadem eſſe cephalica, quæ uterina, & vice verſâ.

Liceat verò nobis quaſi ſelectu quodam inſtituto, ex diviſione *Dn. D. Præſidis noſtri part. 1. de Sale volat. plantar. cap. 6.* hæc dirimere in volatilia, media & fixa, ex quibus hinc facile eſt ad præſentem uſum neceſſaria depromere.

Primi generis ſpecifica facimus 1. *urinoſa*, 2. *oleoſa*, 3. *ſpirituoſa*. Ex *urinoſis* nominamus ♌ *eboris, C. C. fuliginis,* ⊖*lis* ✻*ci*, unde *liquor cephalicus laudatiſſimi Dn. D. Præſidis* probatiſſimæ eſt virtutis. Neque verò hic attinet in laudes ſalium volatilium progredi, ſatis eſt hæc levi penicillo quaſi tetigiſſe.

Oleosa inter, *ol. succin.* quod præter *Fonsecam Binninger. cent. 3. obs. 91. p. 365.* dilaudat; *hemclinum Rulandi*, *anthos*, & affinia excellunt. Pertinet huc & *camphora*, medicamentum penetrantissimum, calidiori tamen intemperiei & sicciori adversa, unde ob spiritus volatiles caput subito petentes cautius adhibenda.

Spirituosa constituit ▽ *carfunc. aur. apoplect. cum castor.* ⁓ *sambuc. Zedoar. compositus: castorei, uterinus Mœb.* & similia.

Mediæ classis facimus *acida volatilia*, *castorina*, quoad essentiam, extracta, elixiria, aliaque, uti sunt ⁓ ⊖*li cephal. volat. compos. Dn. D. Præsidis*, *m. s. elixiria uterina*, *essent. castor. succin. myrrh. asa fœtid. &c.*

Tertio loco seligimus *cinnabarina*, ⊖*lata*, & ♃*ialia*. *Cinnabaris* præsertim *Cratonis* deprædicatur encomio, idque non sine causâ (licet in scriptis ipsius nomine conjunctim editis illud non reperiatur) ob absorbendi & humorum acrimoniam mitigandi virtutem medicamentum nervinum sine pari. Hinc præter hæc generalia laudamus *pulv. epilept. Cratonis*, *marchion. pulv. absorbent. Dn. D. Præsidis*, *magister. & bezoard. ♃ial: dentem equi marini, antheram coryli &c.*

A *Riverio* laudatur ⊖*lum* ♂*tis* cum duplâ sacchari proportione in vehiculo appropriato exhibitum. Similiter laudatur ab eodem pulv. gran. actes cum cyatho vini sumtus. *Tincturam granorum actes*, seu sambuci cum aliquot guttis olei buxini commendat *Fonsec. Tom. 1. consil. 15. p. 120.* qvod tamen perperam pro oleo Heraclino habet.

Referri huc facile possunt hinc inde à Practicis commendata simplicia & composita, uti *hepar lupi* exsiccatum ad ℥j. specifice adhiberi testatur *Riverius*; ▽*am naphæ* cum *moscho* & *sangv. dracon.* miranda præstare affirmat idem ex *Solenandro*; *Priapum cervi*, *Bartholin. c. VI. obs. 50.*

Aquam hirundinum cum castor. galban. & ✠to destillatam convenientissimam esse, testis est *Jonston. l. 8. c. 2.*

Decoctum de tribus radicibus, *angelicæ*, *zedoariæ*, *levistici* summè extollit *Thonner. l. c. p. 174.*

Communia ferè præsidia sunt *Opiata*, sicubi vel dolorum faces accensæ urgeant & spasmodicam contractionem pari-

pariant, vel continuata paroxysmorum accessio, & exhalationum subtilitas, vel denique alia fluxionum aliorumque illuvies ea urgeant permittantque; divinum hæc præstant remedium, quo & *theriacam, tripheram magnam* & hujus commatis plures compositiones referre possumus.

℞ *aq. hyster. Sennert. ceras. nigr. epilept. Lang.* a. ℥iij.
Oli cephal. ℈j. *elix. epilept. Croll.* ʒiß.
essent. anod. ℈ß. M. F. l. a. potio. D. in fict. S. Haupt- und Mutterträncklein.

℞ *pulv. epilept. Craton.* ℈ij. *bezoard. Jovialis,*
castor. ppti a. ℈j. M. D. in chartâ S. Haupt-Pülverlein uf 4. 5. mahl.

℞ *pulv. epilept. March.* ʒß. *cinnab. nativ.* ℈j.
dent. hippopot. philos. ppt. g. xv. *fragm. 5. lap. pretios.* a. g. v.
ol. rut. gtt. j. M. F. pulvis. D. in charta. S. u. s.

℞. *spec. diacinnab. Mynsicht. dia Jov. ejusdem* a. ʒj.
castor. ppt. ℈j. *ol. rut.* gtt. ij. M. F. l. a. pulvis.

℞. *extract. castores, asæ fœtidæ* a. g. v.
theriac. Andromach. g. vi. *Philon. Rom.* g. IV.
M. F. l. a. pilulæ. S. Mutter-Pillen.

Externa internis suppetias ferunt, eundem scopum intendentia, præprimis sacculi paregorici, emplastra & linimenta, spiritus imò ipsi uterini, maximè umbilico applicanda. Paradigmata possunt esse talia:

℞. *rad. angel. aristol. zedoar.* a. ℥ß.
fol. meliss. matric. rosmar. rut. a. mj.
sem. carv. rut. castor. a. ʒij.
baccar. laur. ʒj. M. concis. contus. g. m. D. in chart. S. Species zum Säcklein.

℞. *cerot. de galban.* ℥ß. *gum. tacamahac.* ʒij.
olei succin. rut. a. gtt. ij. *N. m. expr. bals. Peruv.* a. ℈j.
M. F. l. a. magdaleon. S. Mutter-Pflaster.

Pedum quoque plantæ spiritu uterino fricari possunt. Laudari adhæc merentur *empl. matricale à Jonstonio l. c.* descriptum, uti etiam quæ hic desiderari videntur, tempore quippe excludimur, *à Sennerto, Ranchino Tr. de morb. virginum s. 3. c. 2. Foresto* & propriis fontibus peti possunt.

CAP.

CAPUT XIV.

Diætam observat.

DIÆTÆ ratio, quæ agmen claudit, triplex est, naturalis, vitalis & animalis.

In NATURALI, CIBUS secundum quantitatem & qualitatem considerandus. Convenit victus attenuans à *Galeno* tantoperè decantatus; tanta ingerendorum copia esse debet, ut vires reficiat, non verò opprimat, non ad nauseam usque, sed quæ corpori alendo sufficiat, omnis enim repletio nociva.

Cibi quidem boni succi & nutrimenti locum suum habent; attamen neque aromatibus multis, aut copioso sale debent esse conditi, omnia enim acriora & halituosa quæ caput replent, *raphanus rusticanus, cepa, allium,* vitanda. Vinum parcâ sumatur manu, volatiles enim acres humores exacuit, & non nisi ad restaurandas vires.

Num vinum in paroxysmo adhibendum, inter Autores dissensus est, quidam cōcedunt, quidā prohibent; hi partes genitales calefacere, vitiosam magis hinc exagitare materiā, pluresq; vapores excitare dicunt; illi verò, summæ corporis refrigerationi, viriumque lapsui occurrere affirmant. Litem hanc componit optimè *Sennert. l. IV. part. 2. sect. 3. c. IV. qu. 3.* dicendo, tempore paroxysmi, ubi subitus virium lapsus, ingruensque syncope, recte vinum, ut præsentaneum auxilium exhiberi; neque metus est, ut paucum vinum, quod pro reficiendis saltem viribus datur, statim ad uterum penetret, humoresque in eo vitiosos exagitet. Videndum tamen semper quid ferant ægræ, quasdam enim vel minimus potus vini offendit.

Cerevisia multo sulphure lupuli vel lolii ebria, ut & feculenta vitanda.

In VITALI AER eligatur temperatus & purus; effluviis humidis calcis vivæ & aliis carens.

In ANIMALI, otium vitetur, laboribus adsvescat, præcipuè si materia seminalis huic malo fores aperuerit, tunc enim

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Extinctæque jacent, & sine luce faces.

QUIES debitis teneatur terminis. Nocet enim uterque excessus, Motus fortior omnis & vita sedentaria. Omnia ergò sint mediocria.

SOMNUS sit moderatus, nec statim à cœna ineatur; decubitus declivis & in dorsum vitetur, solet enim non rarò & in somnio ægras malum prehendere.

VIGILIAE nimiæ Spiritus disturbando absumunt, cerebrum debilitant, & humorum acrimoniam agitando acuunt, adeoque omni studio vitandæ.

ANIMI AFFECTUS ad sanæ rationis lancem sunt mensurandi, ira, terror, mœror, gaudium immoderatum cane pejus & angve sunt fugienda.

ALVUS quotidiè, menses stato tempore suo respondeant officio, maturè alioqui in ordinem redigendi.

VENERIS exercitium, si à feminis copiâ lacessente oriatur affectus, honestis modis commendandum. Huic enim causæ optimum & unicum propè remedium est conjugium.

F I N I S.